



**Erasmi a Chokier Tractatus absolutissimus de
iurisdictione ordinarii in exemptos, deque illorum
exemptione ab ordinaria iurisdictione**

Mvltis Pontificvm Decretis, Et SS. Congregationis ... Cardinalium
Declarationibus illustratus ; omnibus in iudicio Civili & foro Ecclesiastico
versantibus perquam utilis ac necessarius ; in duos tomos ab ipso Auctore
distinctus

Chokier, Érasme de
Coloniae Agrippinae, 1684

10. Exceptio exemptionis, an opponi possit post litem contestatam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61886](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61886)

quam hoc eodem libro tractavimus sexto loco, dum quaesivimus, utrum Exemptus teneatur ad allegandum suum privilegium, conclusimusque tertia conclusione, condemnandum in expensis adjectis, tamen tam eodem loco, quam per discursum totius quaestionis nonnullis distinctionibus, quas hoc in loco, ne quod actum est agam, non fuit visum reperere, sufficit appellare Imbertum, concludentem condemnandum, nisi iudici ex actis de Exemptione constet, aut in citatorio qualitas Exemptionis exprimeretur, alioqui (inquit) quantumlibet aliunde notum esset, & litigantibus & iudic; comparere tenetur. *Imbert. inst. forens. lib. 1. cap. 26. glo. in verb. Cautus.* cuius decisio pendet ex dicta quaestione sexta, ad quam fit remissio.

Q U A E S T I O X.

Exemptionis exceptio, an opponi possit in vim declinatoriae post litem contestatam?

Hæc Questio affinis est materiae, quam superius tractavi in sexta quaestione, ubi de prorogatione jurisdictionis disputatum est, quibus hoc in loco tantum addo, quod licet declinatoria exceptio regulariter opponi non possit post litem contestatam. *l. fin. C. de except. l. peremptoria cum ibi not. C. senten. rescin. non posse.* Nihilominus tamen exceptio Exemptionis quandoque opponi poterit. *Guido quaest. 275. n. 4. & 5 per l. qui futurum ff. de pact. l. commissoria. ff. de pact. inter emp. & ven.* Exceptiones enim reddentes iudicium retto nullum, semper opponi possunt. *l. licet ubi D. D. C. de procurat. Marant de ord. jud. par. 6. memb. 9. n. 9.* Idque secundum intelligentiam eorum, quæ dicta quaestione sexta scripsi, quæ hic velim haberi pro repetitis.

Q U A E S T I O XI.

Judicium Exemptorum jurisdictione an possit prorogari per non Exemptos?

S V M M A R I V M.

1. *Judices Exemptorum prorogari ab aliis non possunt.*
2. *Delegati prorogari non possunt.*
3. *Judices Exemptorum aequiparantur delegatis.*

Dubitationem facit, quod ejusmodi iudices jurisdictionem habeant, certum autem est, quod prorogatio jurisdictionis fieri possit de persona in personam,